



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae Historiae Decas Prima

Martini, Martino

Monachii, 1658

Tertius Imperator Kangus. Imperavit annis XXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

quendo; sed multo magis in prestando fidos. Ita vertit in serium jocus; & Imperator Yo ditionem TANGUM dictam, ubi nunc TAIQUEX Civitas, cum reguli potestate cessit. Undecimo imperij anno CHEUCUNGUS obiit, postquam præclare multa fecerat, multa etiam scripserat, pari utrinque laude; quæ Sinensium libris mandata, passim est legere. Corpus illius terræ reddidit; regio more prope sepulchrum patris; haud existimans fas esse, tantum virum, ut subditum tractari.

Vini usus, tam, dicitur.

Ceterum cum agerentur aliquando imperij comitia; mirum quam splendidam de vino & bene longam orationem Imperator ad regulos, atque Præfectos habuit. Inter alia liber XUKING refert hæc locutum. Vinum à Cælo permissum hominibus eâ lege, ut inter sacrificia duntaxat, que Cælo sunt, adhibeatur; malorum omnium, que in orbe terrarum sunt, causam ex ebrietate existere; nullam stirpem aliâ re, quam nimio vini usui interijisse. Sub hoc etiam Imperatore sortibus consultum referunt, de diuturnitate imperij; quarum favore successores ex eadem familiâ triginta in octingentesimum usque annum sperare jubebatur, nullo extero intercedente.

TERTIUS IMPERATOR KANGUS.

Imperavit annis XXVI.

*Cyclo 27. anno
60. ante Chri-
stum 1078.*

Hic acceptis per manus à patre sceptris, imperium in profundissimâ pace domi forisque continuit. Quippe annis viginti duobus, quibus rerum potiebatur, neque in provincijs, neque foro vel armis est, vel legibus unquam certatum. Mores placidi, suaves, sine fastu, & generosâ simplicitate læti. Sic fiebat, ut carus omnibus; summis æquè ut infimis, acceptusque esset. Pax ei cum primis cordi erat; KANGO, quod quietum seu placidum significat, inde dicto. Nec minùs musicâ delectabatur. Quanquam dicere solebat: *Non idcirco reges ad culmen evectos, ut bene curent atatem suam, cum perturbatione civium, ac molestiâ; sed lætis omnibus, tum v. r. o. ipsis quoque lætandum.* Et quoniam ab alijs rebus otium erat, totum se agriculturæ dedit. Prima cura fuit per CHAO CUNGUM præfectum agrorum inire

Quando lætandum Principi?

inire mensuram, & cuique certum agri modum, limites item & vias, litibus rusticorum declinandis assignare. Tum ipse obire provincias, eadem præceptis simul & exemplis docens, CHAOCUNGUS jus dicebat rusticis sub salice; quam deinde religio fuit excindere, scriptis etiam carminibus memoriâ beneficiorum ab eo acceptorum ad posteros propagatâ. Res bombycina, seminationis & arationis fructuosæ facilitas mirificè aucta est ab Imperatore; apertæ quoque carcerum fores, eâ conditione, ut inde emissi agris operam darent. Quibus rebus effecit, ut toto imperio effusè fruges atque divitiæ affluerent, rusticâ ad summum adductâ. Felicia tempora, quibus secura pax non ad otium, ut plerumque; sed ad laborem viam aperuit.

QUARTUS IMPERATOR

CHAU S.

Imperavit annis LI.

Quantum KANGUS hujus pater rei agrariæ profuit; tantum hic nimia venatione ferè obfuit. Quippe longâ pacis segnitie, majorésque imitandi studio torpens, neglectâ republicâ totum se venatui dedit. Unde in illum odium offensioque populi, & præcipuè rusticorum, non modò injurias sibi à Præfecto, sed suis agris etiam à feris aut ab ipso potiùs illatas impunè dilabi quiritantium. Demum eò adducta res est, ut ab rusticis, irâ in rabiem versâ, necaretur. Parricidij, præquam à talibus ingenijs expectares, hujusmodi erat molitio. Ulu non rarò venerat, ut è venatione redeunti flumen HUN provinciam XENSI alluens, prope HANCHUNG urbem esset trajiciendum. Rustici, quibus naves ad transitum imperabantur, repetita toties operæ fastidio concepto, regiam navim tali artificio conglutinant, ut cum in alvei medium venisset, facilè atque ad eorum arbitrium solveretur. Itaque hac navi exceptum Imperatorem, ubi proxerunt ad destinatum periculum, repentè tabulas sublesto nexu coherentes reglutinant; quibus aquarum vi ac molè disjectis, ille cum purpuratis aliquot fluctibus haustus interiit. Hunc exitum portenta quædam minari visâ sunt. Nam & Lunæ lux longè solito clarior apparuit,

*Cyclo 27. anno
26 ante Christi-
sum 1556.
Venationis
mala.*

*Omina mortis
Imperatoris.*

N

paruit,